



# **Dissertatio medico practica inauguralis sistens observationes choreae sancti Viti et febris puerperalis**

<https://hdl.handle.net/1874/9757>

DISSERTATIO MEDICO PRACTICA  
INAUGURALIS

SISTENS

**OBSERVATIONES CHOREAE  
SANCTI VITI,**

**ET FEBRIS PUERPERALIS,**

QUAM,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**ADR. CATH. HOLTIIUS,**

*JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.*

ET

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

AC

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**PETRUS HARTING,**

ROTTERODAMENSIS.

DIE XXVIII M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXV, HORA V.



TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. PADDENBURGII ET SOC.

**MATRI DILECTISSIMAE,**

**IN SEMPITERNAM ANIMI GRATISSIMI  
MEMORIAM**

**SACRUM.**

---

*Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores,  
quamvis artis praecepta perceperint, quidquam  
laude dignum sine usu, et exercitatione consequi  
possunt.*

CICERO.

---

## INTROITUS.

---

**A**d veram morborum intelligentiam recte acquirendam, atque perficiendam, experientiam multiplice ipsius naturae observatione comparatam, saneque rationis luce, atque Physiologiae praeceptis illustratam, ab omnibus Medicis omnino expostulari, quis est qui dubitet? « Curiosa enim naturae observatio ut primam arti dedit originem, ita incrementa dein dedit, dabitque porro” (1). « Neque post rationem inventa est Medicina, sed post inventam Medicinam ratio est quaesita.” Quibus verbis Celsus (2) indicasse videtur, ex morborum observatione conditam esse Medicinae theoriam.

Quae si quis apud animum reputet, mirum nemini esse potest, ea monumenta antiquorum atque recentiorum, quibus signa morborum, horumque aequae  
faus-

(1) Gaubii, Pathol. § 18.

(2) Praefat. ad Libr. 1. de Medicina.

fausti ac infausti exitus exprimuntur, merito suo ab omnibus celebrari. Testentur Hippocratis morborum, imprimis epidemicorum descriptiones, cum quibus si quis conferat ea, quae Sydenhamus de eodem argumento collegit, facile assentietur clarissimo Aliberto scribenti: » Medicinam Hippocraticam, si mala fortuna deperdita essent Hippocratis opera, ex Sydenhami opere optime revocari posse" (1). Quis est a veterum lectione adeo alienus, ut non miretur ejusdem Britanniae luminis, Baconis observandi praeceptis imbuti, variolarum, morbillorum, podagrae, et hystericae feminarum affectionis ex naturae observatione depromptas delineationes. Neque pretio suo defraudanda est Huxhami febris nervosae descriptio, quam nostra aetate Hufelandus celebrare haud dubitavit (2). Quibus addantur meritissimi Mortonii indefessi labores in describenda, ex indubiis fontibus hausta, Phthisis vehementia; Tortii atque Werlhofii, incautos haud raro fallentis febris intermittens larvatae, delineatio, Trilleri pleuritidis descriptio; et vero humanissimi Trallesii accurata, et viro Deum vere colente digna enarratio, atque illustratio cholerae, quam ipse tulit aegerrime, sanavit difficillime. Quibus si plures adderem observatores tum morborum epide-

mi-

(1) Nosol. Natur. pag. 47. (Discours praeliminaire.)

(2) Over de zenuwkoortsen. pag. 8.

micorum, tum sporadicorum; quorum memoriam celebrare fas est, longe ultra arctiores hujus scriptuunculae limites exspatiari deberem.

Neque hi tantum laudandi sunt, qui felicissimas morborum curationes enarraverunt, sed etiam illi, qui inexpectatos morborum eventus haud dissimularunt, quorum exempla summa fide relata eximium habent fructum, ut Medicos admoneant de experientiae fallacia, et judicii difficultate, quam summus Hippocrates candide fateri haud dubitavit. Quae in causa laudandi sunt, Ballonius, celeberrimus ille seculi decimi sexti Medicus, (1) Boerhavius nostras, (2) et Portallus, Medicus Parisiensis, (3) ne plures addam.

Tandem vix dici potest, quantum sit emolumentum, quod semper morborum cognitioni attulit Anatomiae pathologicae studium. Sectiones enim cadaverum, si cum ipsis morborum in aegris observatorum historiis conferantur, quantum lucis spargere valent in morborum causis, et sede, eruendis, quantum in signorum affectionum morbosarum vero pretio affirmando, aut rejiciendo, ipsique adeo Prognosi caute instituenda, et vero in investigando processu naturae, quo in morbo organorum degenera-

(1) Paradigmata et historiae morborum ob raritatem observatione dignae; operum omnium Tom. III. p. 409. Venet. 1734.

(2) Atrocis rarissimique morbi historia Lugd. Bat. 1724.

(3) Memoires sur la nature, et le traitement des plusieurs maladies Tom. I. p. 229. Paris anno 1800.

tionibus faciendis, haud raro tamen adeo emendandis, ut ferri aliquamdiu possint, sapienter utatur. Qua in re quis est, qui non admiretur utilissimam operam, quam medicinae praestitit immortalis **Johannes Baptista Morgagnius**, qui vitam longissimam inter cadavera trivit, atque praestantissimas tum aliorum, tum proprias collegit observationes de sedibus et caussis morborum Anatomie investigatis, ut teste **Sprengelio** hoc opus sufficere possit universi orbis Medicorum gloriae per saeculum vindicandae. Neque minore industria, et assiduo labore in Medicinae honorem atque usum recentiore tempore cadavera perscrutati sunt in Anglia **Matthias Bailly**, in Francia **Portallus** et **Cruveilhierus**, in Germania **Joh. Freder. Meckelius**, alii. Quibus si addatur eximius fructus, quem investigationes cadaverum morbis cordis, pulmonum, hepatis, defunctorum, a **Lanneco**, **Broussaisio**, **Lallemando**, **Hope-ro**, **Abercrombio**, **Annesleo**, **Andralio**, aliis, institutae attulerunt, nullus dubitandi locus esse potest, quin doctrina de cognoscendis hominum morbis, Anatomiae Pathologicae tantorum viro- rum studio excultae, majores quam antea progressus acceptos referre debeat.

De qua re si quis dubitet, amplissimum consulat Anatomiae Pathologicae in Musaeo Academico thesaurum **Bleulandianum**, eumque conferat cum egregiis corporis sani speciminibus, quae summa cura

col-



collegit meritissimus Anatomicus, qui nunc corpore quidem senescens, animo vero nunquam, hac sua provecta aetate, quam ipsi felicissimam gratulantur omnes cives atque hospites, imprimis vero hujus Academiae cives, vitam laboriosam molli otio praeferens, aegrotantium saluti egregie prospicere pergit. Quanta autem doctrinae copia instructus aestumatissimus Praeceptor Schroeder van der Kolk egregiis suis institutionibus Anatomico Pathologicis, morborum cognitionem illustrare solet, omnes uno ore testantur gratissimi discipuli. Quibus igitur viris clarissimis, ceterisque Praeceptoribus, ut Deus optimus maximus per longam annorum seriem vitam integram servet, supplex precor. Haec igitur animo meo reputans cum de argumento cogitarem, quod specimini academico inserviret, mutato ipsa necessitate scribendi consilio, quod cum Promotore antea constitueram, tres observationes, e multis aliis anno superiore in Nosocomio Academico duce Promotore carissimo Wolterbeek factas seligere, easque elaborare incepti.

*Prima et secunda* historiam refert decursus, et exitus morbi, quem vulgo choream viti dicere solent. *Tertia* exemplum febris puerperalis, continet, cum adnexa dissectione cadaveris, et examine chemico liquoris in abdomine effusi. Quae observationes, ut animo benevolo a lectoribus, si qui sint, accipiantur oro, veniamque pro laude peto.

## CAPUT PRIMUM.

### DE CHOREA SANCTI VITI OBSERVA- TIONIBUS ILLUSTRATA.

---

#### § I.

**U**t intelligatur hujus morbi denominandi ratio monere attinet seculo decimo quarto (anno 1374 et sequentibus) in multis Europae regionibus, ipsaque patria nostra, atque urbe Rheno-Trajectina, observatam esse saevientem inter multos homines choreomaniam, sive exstasin hyperaestheticam religiosam, qua affecti bacchabundi agminis instar in foris, locisque sacris, gravissimis convulsionibus affecti tanta vi saltasse leguntur, ut sudore tandem diffluentes, viribusque penitus exhausti in terram delaberentur. Cum vero homines auxilium quaerentes in Germania Sancti Viti, Monasterii Corveyensis patroni sacellum peterent, inde nomen ortum fuit

fuit choreae S. Viti (1) aliis quoque S. Johannis dictae. Abhinc in Medicina hoc nomen receptum fuit ad denotandum morbum nervoso spasmodicum, in quo observantur motus involuntarii musculorum sive universi corporis, sive unius tantum lateris, miras interdum histrionum gesticulationes referentis, cum mente nunc sibi conscia nunc quidquam turbata. Interim facile intelligitur illam choreae denominationem minime omni morbo convenire, quia saepe

si-

(1) O d o r i c u s R a y n a l d u s in Annalibus ecclesiasticis Romae anno 1682 editis Tom. XVI. refert anno 1347 « deturbatos plures de potestate mentis fuisse magicis artibus ac bacchantium veterum more fuestas choreas agitasse, donec sacris exorcismis Daemones ex miserorum corporibus depulsi sunt. » His addit ex Petro magni chronici auctore « Eodem anno miram sectam tam virorum, quam mulierum Aquisgranum venisse de partibus Alemanniae et adscendisse, usque ad Hannoniam seu Franciam, cujus talis erat conditio. Utriusque sexus homines illudebantur a Daemonio, ut tam in domibus quam in plateis et ecclesiis se invicem manu tenentes choreas ducerent, et in altam saltarent nomina quaedam Daemoniorum nominantes veluti Frisckes et similia, nec ullam verecundiam propter adstantes populos habentes. In fine vero chorisationis ita circa pectoralia torquebantur, ut nisi mappulis lineis a suis amicis circa medium ventris fortiter stringerentur quasi furiose clamarent, se esse mortuos. Tandem Leodii a Daemonio liberabantur, et sanati dicebant visos se tempore saltationis immersos in fluvio sanguinis et propterea sic in altum saltasse. » Conf. H e c k e r over de Danswoede. Amst. 1833. Tijdschrift voor de geschiedenis, oudheid en statistiek van Utrecht. N°. 7.

sine gesticulatione saltatoria incidere potest, eaque tantum apparet, cum illi musculi, qui sub ipsa saltatione exercentur, prae aliis affecti sunt; unde minus probanda videtur aliorum denominatio ballismi, (απὸ τοῦ βάλλειν) et sceloturbes (a Graeca voce σκέλος, crus et τύρβη tumultus) qua veteres designaverant crurum infirmitatem fere paralyticam.

Pro diversitate affectorum musculorum, et variis inde ortis motibus, atque gesticulationibus incongruis morbus in varias species dividitur, uti *procurivam*, *saltatoriam*, *gesticatoriam* et *circumrotatoriam* (1). Sic Gaubius (2) scribit se observasse hominem qui currere, non vero gradi poterat. Tulpus (3) in Flandria hominem vidit, qui noctes atque dies currere cogebatur adeo pernici motu, ut sudor ex omni corporis superficie erumperet. Neque somnum capere solebat, nisi postquam summa corporis fatigatio, invitum cogere ad illum capiendum. Alio loco legimus, Monachum 30 annorum sub choreae insaltu tantam totius corporis retractionem circumrotatoriam expertam fuisse, ut retracto ad tergum vultu adspicientibus terrorem incuteret (4). J. Frankius refert

pa-

(1) Berni Monegr. choreae Viti. Pragae 1810, cujus deinde versionem auctam Germanico idiomate curavit J. A. Schler, Abhandlung über den Veitstanz Viennae 1826.

(2) Pathologiae § 751.

(3) Observ. Libr. I. Cap. 16.

(4) Miscell. N. curiosor. Decadis III. obs. 8. p. 151.

patrem suum exemplam choreae observasse, ubi rotatio capitis tanta cum celeritate fiebat, ut illud circumum revera absolvere videretur (1). Virginem in hac urbe circa instantis pubertatis epocham hoc morbo correptam, sub ipsis paroxysmis adeo comode saltasse, licet hanc artem minime edocta esset, ut saepius redeuntibus paroxysmis crurum paralyti corripere, electricitate tamen sanata, observavit cl. Wolterbeek.

Nonnumquam *universum* corpus afficitur, quae est *gravior* species choreae. Frequentior tamen est *partialis* et *levior* morbi forma; multi enim non nisi manibus gesticulare, aut faciei musculos agitare solent, aliis non nisi brachia agitantur. Interdum dimidium corpus exercetur, et licet etiam totum corpus afficiatur, unum tamen latus altero fortius laborat. Sydenhamus observavit illam choreae speciem, in qua morbus incipiebat ab instabilitate alterius cruris, quod aeger fatuorum more post se trahebat, postea eadem motus inconstantia in manu ejusdem lateris observabatur, quam aeger pectori vel aliis partibus applicatam nullo modo in eodem situ continere valebat, sed quae in alium situm, indesinenter contorquebatur, quidquid aeger contraniferetur. Quidam sub choreae accessione potum deglutire non valebant, sed eum subortu tussi per os et nares rejiciebant. Alii illum quidem

(1) Prax. Medicæ Part. II. Vol. I. sect. 2. pag. 246.

dem deglutire potuerunt, at non nisi inter miras gesticulationes poculum ori admovendo, neque recta linea id ad os adducendo, sed diducta saepius a spasmu manu huc illuc aliquamdiu versando, donec tandem forte labiis illud propius admoventes liquorem derepente infunderent et avidissime deglutirent, tanquam miselli id tantum agerent, ut debita opera adstantibus risum moverent (1).

Morbus imprimis homines juniores, pueros aequae ac puellas has tamen frequentius illis, observante Petro Frankio (2) afficit. Aetas ab anno decimo ad pubertatis tempus huic morbo contrahendo valde opportuna videtur. Alio tamen aetatis anno non prorsus exulare observatio docuit Petri Frankii (3) qui puerum quatuor annorum chorea laborantem vidit. In puella sex annorum et in aliis a sexto ad duodecimum annum morbum vidit cl. Thuessinkius (4). Rarissime etiam adultiores hoc morbo affecti leguntur; sic in homine Judaeo quatuor et quadraginta annorum choream observavit P. Frankius, (5) rarius in senibus. Univer-

se

(1) Sydenh. operum omnium. L. B. anno 1726. p. 326 seq.

(2) Frankius, Epitome de cur. hom. morbis. Vienn. Austr. 1805. Tom. VII. pag. 71.

(3) Loco laud. pag. 71. Observationem choreae magnae in femina 43 annorum retulit Scherer apud Hufelandum, Pract. Journal. Tom. III. pag. 606.

(4) Geneesk. Magazijn, Tom. III. parte 3. pag. 118-119.

(5) Loco laudato.

se tamen statui potest hunc morbum in pubertatis tempus incidere, quando corpus nimio incremento, aliisque saepe caussis attenerantibus atque nervos irritantibus, infirmatum est; unde ad morbos evolutionis referri solet, quare etiam saepissime morbus perstat, donec corpus incrementum suum attigerit, atque functio genitalis instaurata fuerit.

Levior morbus saepe pedetentim incipit, adeo ut per menses aut septimanas insolita praecedant symptomata, ut vertigo, dolor capitis, sensus fornicationis membrorum, animus mutabilis, nunc tristis nunc hilaris, donec tandem maneant insolitae gesticulationes, quae haud raro malae consuetudini, imitationi, aut petulantiae, adscribi solent, quam parentes poenis inflictis corrigere student.

In graviore morbo paroxysmorum forma adveniente symptomata non multum differunt ab illis, quae epilepsiam comitantur, unde etiam *chorea epileptica* dici solet. Aegri praegressis symptomatibus nervosis, et animi pathematibus risu aut fletu se declarantibus, insolitis musculorum faciei convulsionibus corripiuntur; frons nunc corrugatur, mox explicatur, supercilia aequae cito attolluntur, ac deprimuntur, oculi mira celeritate in orbitis suis veluti rotantur, os antrorsum, lateraliter, aut postrorsum movetur. Universum caput in omnem partem ducitur; cervix nunc postrorsum obrigescit, nunc antrorsum curvatur, nunc lateraliter jactatur. In brachiis et ma-  
ni-

nibus mirae saepe observantur musculorum agitationes, adeo ut aegri omnes saepe histrionum gesticulationes imitari videantur, interdum cymbalas pulsare, interdum natare, volare aut motus rotatorios facere videantur. Propter continuum motum manuum neque Medicus pulsum sentire potest, neque aegri potum ori ingerere pollent, sed manu praeter voluntatem aliorum ducta aliis locis admovent aut vas subvertunt. Non minore vi pedes in continuo motu agitantur, adeo, ut aegri calcitrare, saltare aut loca altiora adscendere videantur, alii contra stare, aut currere incipiant. Alii denique in ipsius morbi insultu vertigine correpti in terram prostrati miro modo trunco suo attolluntur, ita ut abdomine suo piscium more incurventur, et attollantur. In hac morbi conditione animus non uno modo se habet; alii enim mentis suae compotes manent, alii contra mente alienantur, alii oculis apertis res gestas, sive laetas, sive tristes, narrare, imo preces ad Deum fundere solent; donec tandem veluti somno evigilantes ad se redire videantur, rerum gestarum inscii, ast propter infelicem morbi conditionem ad lacrymas usque tristes, atque convulsionibus valde fatigati.

Talis esse solet ratio paroxysmorum, qui vero differre possunt, tam frequentia, quam duratione sua, siquidem vel singulis diebus, semel, bis, aut saepius redire solent (1), pariter per horam dimidia-

(1) *Casimir Medicus* exemplum refert choreae periodice singu-



tam, unam, aut plures interdum porstare observantur.

Morbus vulgo longus, raro lethalis esse solet; cujus tamen infelicissimi exitus observatio legitur apud Rustium (1), in quo casu symptomata morbi tanta celeritate increverant, et sine ulla intermissione perseveraverant, ut jam tertio die mors sequeretur. In cadavere magna aderat sanguinis collectio in cerebro, nulla vero effusio, neque in ventriculis neque inter membranas, pulmones hepatisati, atque cum pleura et Diaphragmate connexi erant. In Anglia Reeve e numero quatuor et octoginta aegrorum hoc morbo correptorum duos tantum amisit, et Josephus Frankius ex Phthisi unum aegrum chorea laborantem amisit (2).

Vulgo tamen idoneo regimine, et medicatione neque nimis debilitante, neque nimis excitante, imprimis corpore magis firmato, et in sexu femineo menstruatione instaurata, sanari solet. Quamvis in tenellis periodo dentitionis morbus occurrere possit tamen facilius hoc morbo corripiantur utriusque aetatis infantes debilitate sive connata, sive per malam educationem acquisita, laborantes; speciatim constitutiones scrofulosae, rachiticae, vel alia ratione cachecticae: praecipue circa tempus pubertatis, quo corpus vulgo celeriter increscens, debile et irritabile

es-  
gulo anno, eodem mente redeuntis, von periodisch Krank-  
heiten pag. 55.

(1) Magazin für die Heilkunde, Tom. XLIII. sect. 2. p. 218.

(2) Loco laud. pag. 266.

esse solet, unde omnis generis morbi nervosi saepe oriuntur. in puellis a menstruatione difficulter prodeunte oritur, eaque instauratâ sanatur morbus.

Disposita semel corporis constitutione huic morbo contrahendo hic facile provocatur potentiis nocentibus, praesertim animi pathematibus, saburra gastrica, acida, pituitosa, et verminosa (1); suppressa cutis functione (2), exanthematibus (3), imprimis tinea et scabie, plethora aequae ac imminutione humorum, sanguinis, seminis, laetis, ad aspectu aegrotantium hoc vel simili morbo nervoso laborantium, aliis (4). Forsitan plurimum caussarum concursui magis adscribenda est magna hujus morbi frequentia inter Jadaeos, observante Petro Frankio, quam quidem caussae a Josepho Frankio, Petri filio propositae, quod nempe haec gens gesticulationibus assueta sit.

Ad quas causas, numero plures, et indole diversas, si bene attendatur facile apparet, non eandem ubivis convenire Medicinam:

1º. Sub ipso paroxysmo omnia ea ab aegro arcedenda sunt, quibus se laedere possit; adeoque decumbat pulvinari, ut motus undique sine noxa exercere possit; relaxentur vestimenta corpus imprimis collum stringentia: vehementiam enim con-

(1) Thuessinkius, Gen. Magaz. Tom. III. part. 5. p. 110.

(2) Rust, loco laudato.

(3) Hufeland, Pract. Journal. Tom. I. pag. 152.

(4) Neuman, Specielle Therapie. Tom. IV. pag. 650-651.

cussionum levare quidem, expedit, sed violentia comprimere nocet, hinc pollices manibus extorquere, aliosque musculos vi adhibita relaxare, superflua res est, et paralyti favere potest. Neque odoramenta, imprimis sternutationem moventia, acriora, laudanda sunt, his enim sanguinem ad cerebrum alliciendo status apoplecticus induci possit. Interim acetum linteo exseptum et naribus admotum haud facile nocebit. Paroxysmo sublato aeger cibo, et potu refocillandus est, imprimis somnum capiat; atque omni modo curetur, ut blanda allocutione et idearum mutatione impressiones ingratas ipso paroxysmo inductas amittat.

2°. *Extra paroxysmum* primum ratio habenda est causarum excitantium, deinde causae praedisponentis, sive seminei systemati nervo inhaerentis, e quo data opportunitate facile novi fluere possint accessus. Hinc

1°. cura *antiphlogistica*, convenit in chorea viti, ex plethora aut locali sanguinis congestione, indeque orta irritatione nervosa cerebri, medullae spinalis, aut nervorum abdominalium. Non mirum igitur hanc saepius convenire in puellis menstruationis periodo, aliisque constitutionibus plethoricis, ex sanguinis quadam suppressione v. g. e naribus, oppressis. Hanc curandi methodum Sydenhamus adhibuit in chorea gesticulatoria, quam ipse observavit (1), in qua repetitas venaesectio-  
re-

(1) Loco laudato pag. 526 seq.

remedia purgantia antiphlogistica, interpositis lenioribus anodynis, sibi optime profuisse scripsit. Cavendum autem, ne haec medicatio omnibus aliis in caussis adhibeatur. Quemadmodum enim hyperstenicae, inflammatoriae, et congestivae indolis esse potest, sic contraria quoque ratione asthenicae simulque irritabilis naturae particeps medicatione debilitante exasperabitur.

2°. Cura *evacuans*, *emetica* et *purgantibus* absolvenda, in aegris victu farinaceo utentibus, potissimum in infantibus ventre turgidulo laborantibus, pituitosis atque verminosis, quique solanis tuberosis abutuntur, egregie convenit, modo abstinetur a drasticis, et systema nerveum valide confundentibus. Haec purgantia, si necessitas urget, commode junguntur solventibus, salinis, antacidis, et anthelminticis. Huc pertinent semina santonici, eorumque extractum oleoso aethereum, valeriana, cortex Geoffr. Surin. et Jamaic. Mercurius dulcis, pulvis Jalappae, Filix mas, ejusque extractum, et ex regno minerali sulfas Cupro ammoniacale. Conferatur observatio sanationis hac via institutae a cl. *Thuessinkio* (1).

3°. Cura *resolvens*, *aperiens*, et *leniter diaphoretica*, utique laudanda in suppressa functione cutis, et hinc orta perspiratione suppressa, qua caussa ortam antea ex *Rustio* citavimus lethalem choream. Eadem medicatio adhibenda in chorea a suppressa sca-

bie

(1) Loco laudato pag. 110.

bie orta, ut retulit Albersius apud Hufelandum (1) potissimum in constitutionibus scrofulosis. Huc pertinent Radix Bardanae, Sarsap. L. Sassafras, Aconitum, praeparata antimonialia, uti sulfuretum Stibii Hydrogenatum, Murias barytae, cetera. Hujus loci sunt balnea tepida, sive naturalia, sive artificialia, imprimis in caussa menstruationis pubertatis tempore non prodeuntis atque molestiam creantis; et in repressis exanthematibus (2). His addantur vesicatoria lateri columnae vertebralis admota, et unguenta irritantia variis cutis locis applicanda, ut exanthematum suppressorum vices agant, v. g. empl. et unguenta e cantharidibus, unguentum Authenrithii, cetera.

4°. *Methodus antispasmodica nervina.* Quoties sublatis causis excitantibus morbus tamen persistere observatur ex semineo systemati nerveo inhaerente, ut fieri solet in feminis hystericis; aut quando caussa non satis aperta est, atque morbus sensim increscit, aut continuo in recidivas prona est, in his casibus, si nulla adsit plethora, aut congestio sanguinis ad organa nobiliora, sanguinis evacuatione, et medicamentis antiphlogisticis tollen-

(1) Loco laudato; conf. ad hujus causae momentum illustrandum observatio Harlesii in Analectis Pathol. de epilepsia, operum academicorum minorum Tom. I. p. 521.

(2) Bereus, Vorlesungen über prakt. arzneiwissenschaft, ausgegeb. von Sundelin. Tom. VI. sect. I. pag. 236.

lenda, ad illa remedia accedendum est, quae vulgo *graveolentia*, *nervina*, et *antispasmodica* dici solent. Horum quidem efficacissima sunt: *asa foetida*, quae vel sola, vel in connubio aliorum coadjuvantium adhiberi solet; praesentibus enim entozois optime jungitur seminibus santonici, aut suppressa scabie sulfureto stibii hydrogenato; externam formam emplastrum ex *asa foetida*, cum *camphora* et *opio* super universam spinam applicatum cum fructu adhibuit *Frankius* (1). Attamen dantur aegri, qui ab hoc medicamento adeo abhorrent, ut solo ejus usu in ipsam choream incidant, quemadmodum observavit *Geischlöger* in puero novem annorum (2). Neque sua laude caret *Radix valerianae officinalis*, quae ab omni tempore laudata fuit in epilepsia, aequae nerveae, ac verminosa, cujusque laudes, adeo celebravit *Tissotus*, ut si hoc remedium non juvet, raro malum curari pronuntiaverit (3). Idem remedium ab *Antonio de Haan* (4) contra epilepsiam mere nervosam, ab injecto terrore concitatum, adhibitum est. Alii vero nullum inde effectum habuerunt, quod facile largimur, cum idem de aliis quoque medicamentis fateri debeamus.

In-

(1) *J. Frank.* loco laudato pag. 275.(2) *Hufeland Journal der prakt. arzneeykunst* Tom. X. part. 3. pag. 171.(3) *Abhandl. über die nerven, und deren krankheit* Tom. III. pag. 294.(4) *Rat. medendi* Tom. V. pag. 121.

Interim requiritur in usu hujus medicamenti, ut primum satis ampla dosi adhibeatur, et deinde ut medicamenti usus diu continuetur, postea ab ejus usu paulisper remittatur, ne medicamento nimis aduescat aegri natura. Laudabile videtur hujus radicis connubium cum floribus Zinci. Aegrum 17 annorum chorea laborantem sanatum legimus in schola polyclinica Berolinensi, assumtis per quatuor hebdomades quotidie duabus drachmis Radicis valerianae cum granis tribus florum Zinci, horumque dosi sensim ad grana octo aucta (1). Ultimum hoc remedium, quod elapso seculo a Medicastro Ludemanno inter nostrates tanquam specificum antiepilepticum, sed fictitio nomine divendi solebat, deinceps vero a clar. Gaubio detectum, famam suam in affectionibus nervoso convulsivis retinuit, et in chorea viti a multis Medicis laudatum fuit. Requiritur autem major ejus dosis, quam vulgo quidem exhiberi solet; sic legimus choream sanatam fuisse in gravida 23 annorum, postquam a paucis granis incipiendo ad dosin scrupuli unius ascendisset Medicus (2); solo hoc remedio ad grana sedecim usque adhibito in juvene tredecim annorum choream sanatam observavit cl. Hufelandus (3). Plura exempla huc spectantia passim relata facile

in-

(1) Hufeland Journal Tom. LII. p. 36-37.

(2) Idem Tom. XXVI. part. 3. pag. 86.

(3) Idem Tom. XXXII. part. 6. pag. 83-89.

inveniuntur in ephemeridibus Medicorum (1). Ast vero in morbo graviore reliquis multo nomine praecellit *sulfas cupro ammoniacale*, sive *ammoniaretum cupri* Pharm. Edinb., cujus laudes in patria nostra diu celebravit cl. Thuessinkius, quas postea alii confirmaverunt; sic Harlesius vires eximias hujus remedii in morbis nervoso convulsivis, praecipue illis, qui sede sua proxima medullae spinali, et systemati truncali gangliari, cum adnexis sympathici plexibus proprii sunt, justis laudibus extulit. Praesertim in chorae viti tribus casibus, varietate motuum convulsivorum adpectu horribili insignitis, uno in puella decem annorum, duobus in juvenibus observatis, neque a vermibus, neque ab hysterica passione profectis, a cupri ammoniati paucis granis opii parca dosi junctis, constantem atque perfectam medelam observavit, postquam flores zinci, et valeriana frustra adhibita essent (2). Neumannus has laudes confirmavit, sed sulfati cupri ammoniacalis praeferre videtur sulfatis cupri granorum sex solutionem in aquae uncia dimidia, cujus solutionis ter de die guttae decem sumantur, quae sic fere granum dimidium sulfatis cupri continent. Utriusque remedii usum levis nausea sequitur, quae tamen requiri videtur ad effectum salutarem efficiendum, qui vulgo post interval-

lum

(1) Saltzb. Med. Chir. Zeit. anno 1818. T. I. p. 41 et 875.

(2) Loco citato pag. 353.



lum triuma hebdomadam sequi solet (1). Quandoquidem igitur usus cupri minus periculum afferre solet, praesertim in morbis secundariis producendis, hinc multo nomine praeferri meretur usui arsenici, forma guttularum Fowleri, ab Heimio antea laudati (2). Cujus dirissimi veneni effectus saepe graves esse solent, neque semper averti possunt, unde in morbis alia ratione curandis ab eo abstinendum sit.

Qui recentiore tempore *Nitratem argenti crystallisatum, et fusum* in gravissimis morbis nervorum adhibuerunt, etiam usum hujus validissimi remedii in hoc morbo tentaverunt, neque sine effectu, Doct. Pitschaft experientia confirmatum vidit usum hujus remedii in chorea viti, illudque forte praestantissimum esse inter reliqua hujus morbi artis auxilia indicat; monet autem ante ipsam remedii assumptionem intestina ab omni saburra esse liberanda. De adhibendi forma ita statuit, ut 4-5 grana cum succo Liquiritiae redigantur in formam pilularum LXXX, quarum quotidie xij sumantur (3). Alii Nitratas arg. fusi gr. xij in aquae Lauroc. unc. j. solvenda, bis de die dosi x-xx guttularum adhibendarum, pilularum formae praetulerunt (4).

Spon-

(1) Loco laud. pag. 658.

(2) Idem pag. 657.

(3) Hufel. Journal Tom. LI. part. 3. pag. 54.

(4) Idem Tom. LIV. part. 2. pag. 48.

Sponte intelligitur in Nitratis argenti crystallisati adhibitione duplo majorem dosin praescribendam esse, quam Nitratas argenti fusi.

De usu *belladonnae* in hoc morbo deinceps in historiis morborum a me observatis quaedam dicemus, quae aliorum laudes huic remedio adscriptas confirmare possunt, modo observetur in ejus adhibitione caute mercandum, et a minima dosi incipiendum esse.

Plura supersunt medicamenta, et artis auxilia, quae licet semper non prosint in hoc morbo, sub certis tamen indicationibus laudabilem saepe effectum praestiterunt; huc spectat oleum animale Dippelii, quod a Werlhofio laudatum est, ubi scribit (1): « in multis motibus vigilantium haud voluntariis, « quos adolescentibus haud vulgares Sydenhamo, « aliisque placuit choreae s. viti nomine salutare, « quum debilitas adhuc et spasmi leviores superes- « sent, cito, efficaciter, et constanter contulit oleum « animale Dippelii.” Addit Wichmannus Hannoverae plura prestitisse exempla hujus morbi, in quibus oleo animali sanatio fuisset perfecta.

Electricitatis usum post A. de Haan (2) frustra adhibita methodo Sydenhami antiphlogistica, aliave deinde antispasmodica cura etiam sine fructu applicata, in puella decem annorum e materia acri

(1) Observations de fébribus sect. 11. pag. 88. ta nota.

(2) Rat. med. part. 1. pag. 142. et part. 3. pag. 233.

medullam spinalem irritante, chorea viti laborante, expertissimus quondam inter nostrates Medicus Neomagensis de Man laeto eventu adhibuit (1). Alii Magnetismum animale laudaverunt (2). Musicam, ut in aliis morbis nervorum, etiam in chorea viti, non sine fructu adhibendam esse Joseph. Frankius suspicari videtur (3), aliis assentientibus.

Morbo sanato omni ope studendum est, ut apta roboratione, et bona diaeta, omne semineum systemati nerveo saepe pertinaciter inhaerens tollatur, atque morbi reditus praecaveatur cortice peruviano, valeriana, martialibus, balneis frigidis et lotionibus frigidis spinae dorsi applicatis.

Restat igitur, ut quae de hoc morbo diximus observationibus quantum pote illustrentur.

## § II.

### *Obeervatio prima.*

E. K., famula, quindecim annorum aetatis, constitutionis sensilis, irritabilis, temperamenti nervosi, die 19<sup>o</sup> mensis Martii, hujus anni ad Nosocomio-

(1) Haarl. Maatschappij Tom. XII. pag. 91 seq.

(2) Saltzb. Med. Chir. Zeitung 1814. Tom. II. pag. 415.

(3) Loco laud. pag. 274. Sohler, ueber den Veitstanz, cap. 4 sub paroxysmo Musicam laudat. Conf. v. Rees, Diss. de morbis convulsivis pag. 76.

comium academicum accessit laborans motibus convulsivis manuum et crurum, inprimis lateris dextri, speciem choreae s. viti incipientis, referentibus. Hos motus convulsivos aliquot diebus elapsis primum in manu dextra perceperat, unde sensim ad alias extremitates se propagaverant. Quamvis continuo durante vigilio observabantur, tamen non semper eodem vigeant gradu, etenim animi pathemate etiam leviore, ut sola medici praesentia valde incitabantur, inprimis eo tempore, quo, ut pulsus investigaretur, manus arripiebatur. Nocte convulsiones vulgo silebant. Caeterum ejus conditio sana dici poterat, etenim appetitus erat bonus, nulla indicia vermium, color faciei quamvis aliquomodo pallidus tamen nullo modo cachecticus erat, neque aegra unquam morbo graviore laboraverat; sola menstruatio hactenus deficiebat.

Igitur caussa morbi quaerenda videbatur in *affectione idiopathica systematis nervi cerebro-spinalis*; quod etiam anamnesi confirmabatur. Narra-  
bat enim se biduo antequam primum motus convulsivos perceperat in propatulo a pueris nonnullis ita vexatam fuisse, ut gravi ira correpta vix ad animi tranquillitatem redire potuisset.

Ergo prima quidem indicatio hic versabatur in tollenda abnormi actione vis nervae. Quum vero aliqua indicia saburrae primarum viarum observarentur, hanc primo evacuandam esse censuit Promotor; quam ob rem die 21<sup>o</sup> mensis Martii  
prae-

praescripta fuit sequens mixtura cathartica :

℞ Fol. sennae dr. iij.

Sem. anisi dr. j β.

Inf. in q. s. aq. ad col. unc. viij.

add. Tart. emet. gr. iij.

Syr, comm. unc. j.

S. omni hora 1<sup>1</sup>/<sub>2</sub> cochlear.

Hac mixtura primis viis bene purgatis, cura specifica indicabatur. Igitur 23<sup>o</sup> m. Martii aegra incepit uti sequentibus pulveribus.

℞ Pulv. valer. unc. j.

Flor. Zinci gr. xvj.

f. pulv. n<sup>o</sup>. xvj.

S. 4 de die pulvis.

Die 26<sup>o</sup> m. Martii horum pulverum sex quotidie ingerebantur, atque 28<sup>o</sup> quantitas flor. Zinci ad ad grana 32 augebatur. Nihilominus sub hac medicatione aegrae conditio nullo modo emendabatur, sed motus convulsivi vigore et extensione incresebant; non tantum enim in brachiis et cruribus contractiones et gesticulationes abnormes observabantur, verum etiam muscoli trunci afficiebantur, ita ut aeger in sedili non amplius contineri potuerit, sed continuo in lectu jactitaretur, et ne per minimum quidem temporis spatium eandem positionem servare posset. Accedebat anguli oris versus latera et superiora distractio convulsiva, et tandem spasmodica affectio musculorum loquelaе inservientium, ita ut nonnumquam ver-

ba vix articulatim proferre valeret. His denique accessit febricitatio quaedam pomeridiana, quae se declarabat tremore et frigore, insequente aestu et dolore capitis. Universe se minus bene habebat, animus erat abjectus, morosus, oculi tristes, habitus pallidus; neque somno deficiente amplius cessabant convulsiones tempore nocturno, sed continuo perstabant.

In hac rerum conditione medicatio intensitate aucta requiri videbatur, ad sensibilitatem et irritabilitatem praeter modum auctam imminuendam. Hac indicatione Praeceptor praescripsit usum Belladonnae, cujus eximiam in talibus morbis efficaciam jam saepius antea observaverat. Ergo 31<sup>o</sup> m. Martii pulveribus antea praescriptis e pulvere rad. valerianae cum floribus Zinci addidit grana quatuor pulveris herb. Belladonnae, quorum ut antea quatuor de die sumerentur, ita ut quotidie granum unum Belladonnae ingereretur. Insuper vesicatorium nuchae applicabatur, quod deinde ope unguenti Daphnes Mezerei per aliquot dies in suppuratione tenebatur.

Effectus hujus medicationis ab omni parte egregius fuit. Jam postridie conditio paululum erat emendata, atque motus convulsivi diminuti, febricitationes pomeridianae disparebant intra paucos dies, atque habitus alacrior reddebatur.

Die 6<sup>o</sup> m. Aprilis aequalis portio pulveris Belladonnae medicamento fuit addita, ita ut nunc duo grana intervallo 24 horarum consumerentur. Abhinc

hinc conditio aegrae sensim in meliorem redit. Lo-  
quela erat libera, atque motus convulsivi jam in-  
termittere incipiebant, donec tandem nihil morborum  
superesset, praeter vacillationem quandam in gres-  
su observandam, atque motus tremulos manuum, si  
objecta quaedam arripere conaretur. At vero haec  
ultima morbi symptomata tandem morbo sublato  
evanuerunt.

Sensim igitur quantitas pulveris Belladonnae im-  
minuebatur. Die 20<sup>o</sup> Aprilis ejus grana duo omit-  
tebantur, atque die 1<sup>o</sup> mensis Maji altera duo gra-  
na. Ne vero aegra recidivam pateretur ad diem  
12<sup>am</sup> m. Maji in usu pulverum, in quibus qua-  
tuor grana pulveris Belladonnae supererant, per-  
rexit. Postquam vero ejus valetudo ab omni parte  
esset restituta, sanata e Nosocomio dimissa est.

### *Epicrisis.*

1<sup>o</sup>. *Quo ad morbi causas. Causae praedispo-  
nentes* mihi quaerendae videntur:

*a.* In aegrae temperamento nervoso, atque con-  
stitutione sensili et irritabili facile motibus spas-  
modicis favente.

*b.* Inprimis vero in ejus aetate ad pubertatem ver-  
gente, atque menstruatione hactenus deficiente.  
Cuique enim notum est, quanta sit hujus vitae pe-  
riodi proclivitas in morbos convulsivae indolis.

*Causa excitans* verosimiliter quaerenda videtur  
in animi pathemate universum systema nerveum va-  
lide concutiente.

2°. *Quo ad morbi sedem* videtur in nostra aegra systema nerveum cerebro - spinale idiopathica ratione affectum fuisse, quod probatur:

*a. Causis*, tum praedisponentibus, tum occasionalibus, quae directa agunt ratione in hancee systematis nervei partem, *vel* ejus irritabilitatem augendo, *vel* illud ad abnormes actiones incitando.

*b. Symptomatibus*. Etenim pro natura morborum nervosorum nunc remittere nunc exacerbari observabantur. Quod vero inprimis magni momenti mihi videtur est constans silentium motuum convulsivorum durante somno hic observatum. Hinc efficere forte licet systematis nervei partem gangliarem non tantum non idiopathice affectam fuisse, verum ne vix quidem consensu ejus functiones turbatos fuisse. Etenim durante somno silet fere vita animalis, cui praeest systema - cerebro spinale, contra vita organica gubernante systemate gangliari pleno effulget vigore.

Systematis vero cerebro - spinalis praeprimis nervos motui inservientes, etiam in hac aegra fuisse affectos, ex ipsa patere videtur notione spasmi et convulsionis, atque symptomatibus enarratis. Nulla scilicet aderant indicia sensuum externorum perturbationis.

3°. *Quo ad curationem*. Si naturam morbi bene perspexi, forsitan e dictis quaedam momenta curationem spectantia derivari possunt. Patuit scilicet Belladonnam in hacce aegra egregios habuisse effectus.



Ast vero Belladonna pertinet inter narcotica, somnum inducentia i. e. praeprimis vitam animalem magis minusve obtundentia, atque in systema cerebro-spinale agentia, ejusque sensilitatem reprimentia. Mihi ergo videtur ex enarrata observatio effici posse Belladonnam, aliaque narcotica in morbis hujus generis tunc inprimis indicata esse, quando causa proxima morbi haeret in affectione idiopathica systematis nervi cerebro spinalis.

Hunc usum Belladonnae in chorea viti observatione confirmavit Stollius, puellae, quae curru in itinere subverso vehementer terrefacta, mox omnes corporis motus promptius et solito velocius imo veluti raptim peregit. Post octiduum motus etiam facere exleges et gesticulationes incipit, nec firmiter stare nec singula, quemadmodum solebat, vocabula proferre valebat. Tandem neque sedere, neque erecto corpore stare potuit, motus omnium articulorum varii gesticulatorii, oris et labiorum assidua motitatio, et ludrica contorsio. Nocte et corpore quiescente placidissime dormit. Neque emetica, neque purgantia ullum habuere effectum, flores Zinci hactenus nullum habuere effectum. Verum extractum ex succo recentis radice Belladonnae paratum, dosi unius grani per 24 horas, ea lege, ut quarta quavis hora sextam unius grani partem adhiberet, elapso biduo malum emendare incepit. Aucta dosi grani dimidii idem remedium continuatum est, atque

que post sex dies aegra se elevare in lecto, postea sola sedere, et tandem passus eundo conficere potuit. At vero brachia nondum erant emendata, ita ut cibum manu sua capere non possit, neque brachia sine aberratione, ad objecta, quae capere cupit, dirigere valeat. Hinc dosis extracti Belladonnae aucta fuit ad grana duo, in sex doses divisa. Incidens febris intermittens nullam fecit morbi mutationem. Tandem vero addito etiam linimento volatili, quo omni mane totum dorsum, lumbi, humeri, brachia, et dorsum fricentur, prorsus convaluit (1). Idem alia observatione docuit illud remedium non semper convenire, sed alia requiri remedia solventia et eccoprotica, si morbus oriatur ab infarctu pituitoso, atque vermibus intestina occupantibus (2). Neque etiam adhibendum esse, si graves morbi insultus ad epilepsiam accedere videantur, cum impotentia mentis et valido sanguinis ad caput raptu accedente (3). In Anglia Doct. Kerrison observavit puellam novem annorum, quae inconstantia motus muscularis in toto corpore laborabat, adeo ut quamvis omnes vires intenderentur, corpus suum in statu quietis tenere non potuerit. Extractum Belladonnae dosi unius et duorum granorum quotidie datum morbum sanavit (4). Eodem effectu

egre-

(1) Ration. medendi Tom. III. pag. 279. ed. Leid.

(2) Eodem loco pag. 288.

(3) Eodem loco pag. 285.

(4) Saltzb. Med. Chir. Zeitung 1818. parte 1. pag. 41.

egregio, quem observavi in puella, cujus historiam breviter enarravi, Promotor aestumatissimus observavit in alia aegra undecim annorum, quae tertia vice chorea viti laboraverat, quam declarabat continua musculorum totius corporis agilitas, quam voluntatis imperio regere nullo modo valebat aegra, ita ut neque cruribus insistere neque gradum sistere ullo modo valeret, sed continuo vacillans ac titubans corpore suo antrorsum, postrorsum, vel in latus traheretur; oculi insuper in continuo motu versabantur, et linguae mobilitas ex difficili verborum articulatione, quem Psellismum dicunt Nosologi, facile observanda erat, similis affectio artus superiores afficiebat, ita ut histrionum gesticulationes ferre imitari, eorumque personam agere absque voluntate videretur. Expulsis primum seminum santonici adhibitione vermibus intestinalibus, quorum suspicionem moverant signa quam plurima, ut turgor ventris, tormina intestinorum circa umbilicum, pupilla dilatata, narium pruritus, aliaque symptomata, tamen morbi vis eodem gradu perstare observabatur, non obstante usu Radicis valerianae. Tandem vero assumpta Herba Bellad. bene mixta a gr. ij - iij intra 24 horarum spatium, morbus penitus sanatus fuit.

Caute interim cum hoc remedio mercandum est, atque bene attendendum ad prima signa, quae noxiam plantae indolem significare solent, quorum praecipua sunt, siccitas oris et faucium, ardor oculorum, dolor capitis, visus imminutus, pulsus tardus

bus, dolor et ardor ventriculi, et tandem stupor mentis cum magna anxietate corporis junctus. Quibus observatis statim ab usu medicamenti desistendum est.

*Observatio secunda.*

Die 31<sup>o</sup> mensis Martii nosocomium petiit P. W. famula 15 annorum, laborans chorea sancti viti. Ejus habitus erat plethoricus, facies rubra, oculi splendentes, pulsus plenus durusque. Numquam antea morbo affectam fuisse refert. At vero menstruatio haecenus deficiens plethorae, simulque affectionibus nervosis huic aetatis periodo propriis favere videbatur: Parentes jam inde a pluribus mensibus observaverant illam levissima caussa facile terrore corripì.

Affectio, qua nunc laborabat derivanda videbatur a terrore, quo affecta fuit ad aspectu sororis affectione epileptica laborantis. Ab eo scilicet tempore vexata fuit gravi abdominis dolore, simul comitantibus gesticulationibus variis involuntariis manuum pedumque. Hi motus convulsivi varia ratione conveniebant cum illis, quae in observatione praecedente visa sunt; scilicet etiam animi pathemate quodammodo, quamvis multo minore gradu augebantur; latus dextrum prae sinistro affectum erat. In eo vero differabant, quod etiam durante somno observabantur.

Praeter hanc abnormitatem actionis nerveae, atque

que dolorem abdominis per intervalla redeuntem, inprimis ad partem abdominis umbilicalem praesentem, nulla indicia aderant alius morbi. Appetitus erat bonus, omnesque functiones bene vigeant.

Ex indicantibus haud improbabile videbatur dolorem abdominis indicare praesentiam vermium, observata simul aliqua pupillae dilatatione. Hinc praescribebantur sequentes pulveres:

℞ pulv. valer. unc. j.

flor. Zinci, gr. xvj.

f. pulv. n<sup>o</sup>. 16.

s. 4 de die pulvis.

Eventus diagnosis veritatem demonstravit, nam jam die 1<sup>o</sup>. mens. Aprilis ascaridem lambricoideum dejecit.

Die 4<sup>o</sup>. mens. Aprilis, denuo a verme ejusdem speciei liberata fuit, simulque motus convulsivi paululum emendari inceperunt; quum vero nunc primaria indicatio anthelmintica videretur, praeceptor formula paululum mutata praescripsit:

℞ pulv: valer. dr. vj.

sem. santon. dr. ij.

flor. Zinci gr. xvj.

f. pulv. n<sup>o</sup>. 16.

s. 4 de die pulvis.

In hac indicatione continuabatur ad diem usque 7<sup>um</sup> mens. Maji. Die 31<sup>o</sup> mens. Aprilis propter validum capitis dolorem, a congestione derivandum, hiru-  
dines temporibus applicatae fuerunt. Evacuavit du-

rante hoc temporis spatio decem ascarides lumbricoideos. Motus vero convulsivi nullo modo emendabantur; alvus quodammodo obstipata erat, ad quam solvendam, simulque ad derivationem a capite faciendam, loco pulverum propinatorum praescribebatur sequens infusio:

℞ semin. santon.

rad. valer. aa. unc. β

fol. sennae dr. iij.

inf. in s. q. aq. ad col. unc. viij.

add. sulf. sod. dr. ij.

Syr. comm. unc. β

s. omni hora  $1\frac{1}{2}$  cochlear.

Die 9<sup>o</sup> mens. Maji. Nullos evacuavit vermes. Queritur de dolore valido capitis. Pulsus incitatus, facies rubra, turgida, indicabant gravem sanguinis versus caput congestionem; Quamobrem seposita tantisper medicatione anthelmintica, methodus antiphlogistica nunc hujus loci esse censebatur. Applicabantur ergo denuo hirudines capiti, atque mixtura antiphlogistica praescribebatur.

℞ nitrat. potess. dr. j. β

oxym. simplic, unc. j. β

extr. hyosc. gr. iij.

aq. hordei unc. viij.

m. d. s. omni hora cochlear.

Die 11<sup>o</sup> mens. Maji. Vermem evacuavit. Capitis dolor imminutus. Ast vero motus convulsivi parum mutati,

Die

Die 13<sup>o</sup> mens. Maji. denuo vermem deiecit. Praesente adhuc quadam temulentia et vertigine denuo applicabantur hirudines. Post earum applicationem dolor capitis subito evanuit, atque fauces petiit, harumque constrictionem spasmodicam fecit, deglutationem brevi temporis intervallo impediens.

Ut indicationi anthelminticae nunc ulterius satisficeret, evitata tamen medicatione stimulante hic facile nocitura pulveribus addebantur pulv. Ipecac. gr. viij.

Sequente die dolor capitis plane evanuerat, atamen motus convulsivi nullo modo emendabantur.

Die 15<sup>o</sup> mens. Maji. unum vermem evacuavit, uti etiam die 18<sup>o</sup>. Ast vero vertigo et capitis dolor redierunt cum pulsu pleno et duro. Querebatur simul de quadam nausea, quae verosimiliter usui Ipecacuanhae adscribenda erat; apponuntur quatuor hirudines capiti.

Die 19<sup>o</sup> mens. Maji. Evanuit omnis capitis dolor post hirudinum applicationem. Caeterum morbi conditio eadem mansit.

Die 20<sup>o</sup> mens. Maji. Rediit capitis dolor, atque vertigo cum pulsu duro et forti. Quum haec symptomata facillime usu extr. Hyoscyami exasperari possent, hoc medicamentum omittebatur.

Mutata ergo quodammodo formula nunc praescribatur:

℞ nitri depur. dr. j. β  
 pulv. Ipecae, gr. xvj.  
 oxym. simpl. unc. j. β  
 aq. hord. unc. viij.  
 s. omni hora  $1\frac{1}{2}$  cochlear,

Die 22<sup>o</sup> mens. Maji. Symptomata convulsiva perstant. Capitis dolor minor, pulsus minus durus, verum quodammodo acceleratus, alvus laxior cum torminibus ventris.

Eadem medicatio administrabatur usque ad diem 26<sup>um</sup> mens. Maji. Inde a die 18<sup>o</sup> nulli evacuati fuerunt vermes, quamvis aliqua symptomata illorum praesentiam adhuc indicare viderentur. Dolor capitis plane evanuerat, verum motus convulsivi eodem fere gradu perstabant. Praeceptor igitur nunc praescipit seq. pulveres.

℞ Sulphat. cupro ammon. gr. vj.  
 pulv. valer. dr. ij.  
 f. pulv. n<sup>o</sup>. 12.  
 s. 3 de die pulvis.

Effectus hujus medicamenti fuit egregius. Nam die 28<sup>o</sup> mens. Maji aegra denuo vermem evacuavit. Supersunt tamen tormina ventris ad locum umbilici. Post usum pulverum nausea et vomitum.

Die 30<sup>o</sup> mens. Maji. Conditio emendata. Nocte convulsiones diminuuntur. Eadem medicatio addito uno pulvere.

Die 2<sup>o</sup> mens. Junii. Iterum queritur aegra de-



dolore capitis in loco supraorbitali, cui apponuntur 2 hirudines. Nausea et vomituritio post remedium assumptum diminuitur. Convulsiones nocte silent. Pulveribus addantur sulphatis cupro ammoniacalis gr. ij.

Abhinc conditio pedetentim emendabatur. Die 9<sup>o</sup> mens. Junii medicamenti dosis iterum augebatur additione sulfatis cupro-ammoniacalis gr. iv. adeo ut nunc quotidie grana tria hujus medicamenti consumerentur. Hac vero additione demum levis nausea et vomituritio provocabatur. Hinc die 16<sup>o</sup> mens. Junii grana iij. sulphatis cupro-ammoniacalis omittebantur. Nunc vero quotidie adeo emendata fuit aegra, ut die 27<sup>o</sup> plane sanata e Nosocomio fuerit dimissa, nullis superstitionibus motibus convulsivis, qui hactenus non redierunt.

### *Epietisis.*

1<sup>o</sup> *Quo ad morbi causas.* Praedispositio mihi quaerenda videtur:

*a.* In aegrae constitutione plethorica, potissimum eo vitae tempore, quo menstruatio instaurari solet. Congestio ad caput, cui durante totius morbi decursu saepius aegra laboraverat, hujus causae momentum satis confirmabat.

*b.* Prae caeteris tamen eminent affectio verminosa, quae pari passu cum morbo convulsivo se prod-

di-

didit atque processit. Eodem scilicet momento, quo motus convulsivi observari inceperunt, etiam puella doloribus abdominis lancinantibus corripiebatur.

His jam praesentibus conditionibus non valida requirebatur *causa excitans*. Etenim terrori, quo affecta esset adspectu sororis affectione epileptica laborantis, vix omnem adscribere possumus vim, quia jam saepius eandem adspexerat scenam, sine ullo tamen insecuto morbo. Fatemur tamen hunc ad morbi insultum efficiendum in puella disposita multum valuisse.

2°. *Quo ad morbi naturam*. In priore casu probare conati sumus systema nerveum cerebro-spinale idiopathica ratione laborasse. In hacce vero aegra contrarium obtinuisse videtur, in qua scilicet primaria ratione systema nerveum gangliare affectum fuisse credimus. Hanc opinionem confirmant:

a. Causarum praedisponentum agendi ratio, quarum hic, ut jam notavimus, inprimis ratio habenda videtur. Vermes, qui potissimum in censum veniunt, continuo stimulo suo nocivo intestina irritantes, systematis nervei gangliaris, digestionem totamque vitam organicam gubernantis, actionem turbasse, necesse est.

b. Praesentia motuum convulsivorum durante somno, quae in priore casu hoc tempore silebant. Etenim vita organica, quae inprimis patiebatur, durante somno vigere pergit. Deinceps hoc systema gan-  
gli-

gliare ipsum systema cerebro - spinale in consensum traxerat, unde musculi alias voluntatis imperio subiecti invita aegra ad contractiones stimulabantur.

Vermibus expulsis, atque causa materiali sublata, tamen morbus non tollebatur; eadem ratione, qua saepe febres intermittentes perstare observantur, licet causa excitans sit eliminata. Nunc vero (quod opinionem meam ulterius probat) convulsiones noctu silebant; unde colligitur systema gangliare sensim ad normam rediisse.

3°. *Quo ad prognosin.* Ex dictis de natura morbi, atque ex ipsius eventu concludere possumus silentium convulsionum durante somno boni fuisse ominis, quum indicabat morbi causam materialem systema gangliare irritantem fuisse sublata.

4°. *Quo ad curationem.* Curatio ergo in hoc morbo imprimis versabatur in causis tollendis. Hinc plethorae, indeque ortis congestionibus cerebrialibus opponerentur hirudines; vermibus anthelmintica.

Inter haec imprimis illa fuerunt selecta medicamenta, quae simul valida ratione in vim nerveam agunt: *valeriana*, *flores Zinci*, atque tandem *sulphas cupro - ammoniacalis*, cujus effectas in nostra observatione praestantissimus dici meretur.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE FEBRE PUERPERALI, OBSERVATIONE ILLUSTRATA.

#### § I.

**O**mnium fere scriptorum practicorum consensu vix ullus datur morbus, de quo tanta sit sententiarum diversitas, quam de ita dicta febre puerperali. Diversae denominationes, quae hypothesebus saepe oppositis innixae sunt, hujus opinionis veritatem confirmant. Multi fuerunt, qui lochiorum suppressionem causam hujus morbi salutarent, quibus hic morbus *febris lochialis* dicebatur; Alii potissimum lactis secretionem aberrantem accusantes huic morbo nomen dederunt *febris lacteae malignae*. Aliis dicitur *febris putrida*, sive *maligna puerperarum*, *febris humoralis nervosa*; *febris miliaris complicata*.

Re-

Recentiores inflammationem abdominalem pro sede hujus morbi habentes, in eo tamen valde differunt, quod alii focum morbi in utero, alii in omento, alii in intestinis, alii in peritoneo, alii tandem in pluribus partibus simul sumtis, posuerunt; hinc denominationes *enteritidis acutae puerperarum*, *febris omentalis*, *metroperitonitidis puerperalis*, *peritonitidis puerperalis* cett. Ultima denominatio, quae veram hujus morbi sedem indicat, hodie pluribus auctoribus accepta est.

Quodsi respiciamus ingentem numerum hypothesium, quibus scriptores omnis aevi, ab Hippocrate inde (lactis e mammis abdomen versus transpositionem credente) ad Broussaisium usque (solam inflammationem et hyperstheniam salutante) veram hujus morbi naturam explicare tentaverunt tunc omnino fatendum est ejus cognitionem adhuc magnis premi difficultatibus.

Idem quoque valet de curatione. Hic minime locus est, quo enumerem varias curandi methodos, quas practici pro diversa sua sententia de morbi natura et sede secuti sunt. Ut vero probarem, quam difficile sit in tanta re judicare, quaenam methodus aliis sit praeferenda, sufficiat hic tantum duos indicasse auctores recentissimos, quorum uterque ad suam experientiam provocat, suamque methodum valde commendat, quique tamen plane opposita ratione curationem instituunt.

Alter est Medicus Francicus *Sentin*, qui scribit:

se felicissimo eventu in hoc morbo methodum anti-phlogisticam Broussaissianam sequi. Venae-sectiones 15-28 unciarum repetitas instituendo, simulque applicando ingentem copiam hirudinem ad 70 usque; qua ratione curatio absolvebatur (1).

Alter est inter nostrates Expert Potgieter, qui experientia sua innixus, *febrem puerperalem ex adynamia generali oriri statuit*. Hinc omnem sanationis spem in solis irritantibus fortioribus sine mora adhibitis, atque in opio, posuit. (2)

In tanta opinionum diversitate inprimis valet illud effatum Hufelandi, praestantiam naturae medicatricis in eo inprimis manifestam esse, quando multos aegros eodem morbo laborantes atque methodis diversissimis, sibi plane oppositis curatos, tamen periculo mortis eripi videmus. Neque illud mirandum multos esse Medicos, qui, postquam malo eventu varias tentavissent curandi methodos in illam inciderint opinionem omnem curam hujus morbi soli naturae committendam esse, atque praestare nihil facere, quam nocere.

## § II.

(1) Conf. Reflections sur quelques observations de metro-peritonite puerperale par L. Sentin, Dr. en Medicine. Bibliotheq. med. par F. I. V. Broussais, 4 cahier 1824, p. 574.

(2) Conf. Potgieter, over de Kraamvrouwenkoorts 1828. pag. 72, pag. 226. atque pag. 243.

## § II.

*Observatio febris puerperatis.*

Femina 31 annorum, constitutionis plethoricae, robustae, et bene conformatae, semel haemorrhagiam pulmonum passa, ante septennium difficilem partum enixa, nunc denuo uterum gerens, omni graviditatis tempore male se habuit; nam iterata et valde molesta vomituritione, capitis dolore, aliisque symptomatibus e plethora oriundis correpta fuit, imprimis vero, postremis mensibus affectionibus spasmodicis abdominis continuo fere laboravit, qui augebantur aëris mutationibus, quibus saepe vitae genere laborioso exposita fuerat. Postquam ad graviditatis terminum pervenerat, die 31 mensis Januarii a. 1835 ingentibus doloribus abdominis, per intervalla redeuntibus, valide excruciabatur, qui spasticae videbantur indolis. Quum vero hi dolores identidem auferentur suspicionem gravidæ haud improbabilem moverunt partus appropinquantis. Quocirca die 3<sup>o</sup> mensis Februarii hora vespertina nona Nosocomium adiit. Hora nocturna duodecima in lecto decumbens querebatur de dolore intolerabili, imprimis in regione lumborum. Facies erat rubra, universi corporis calor in sudorem augebatur, animus abjectus et tristis erat, caput intense dolebat, abdomen valde tumidum, tamen in latere dextro magis prominens, quam in latere op-

po-

posito. Foetus magnam declarabat mobilitatem, atque in motu continuo, gravidæ admodum molesto, versari videbatur. Instituta exploratione partium genitalium internarum, ostium uterinum alte collocatum et os sacrum respiciens, atque paululum ad latus sinistrum inclinans, parumque apertum sentiebatur. Nulla hæcenus membranarum tensio sub ipsis doloribus, neque certum de foetus parte prævia iudicium ferri potuit. Postquam verò parturienti decubitus in latere dextro exhiberetur, sensim dolores decursum magis regularem acquisiverunt, ita ut caput in introitu pelvis per ipsos uteri parietes sentiri potuerit. Attamen ostium uteri parum modo aperiatur, et membranae vix prominebant.

Inde ab hora prima matutina partus sensim decursum habuit irregularem; assidui dolores vehementer miseram excruciant; accedebant plurima symptomata spasmodica, atque sanguinis motum abnormem declarantia, unde validus capitis dolor, facies rubro colore tineta, calor ingens, insatiabile desiderium potulentorum, qui semper vomitu rejiciebantur, animi deliquium, tremores totius corporis, atque tandem leves motus convulsivi.

Interim hi dolores, licet validissimi, nullum tamen præstiterunt effectum in ipsum ostium uterinum, quod vix ultra duos pollices dilatatum sentiebatur, neque partus negotium ullos progressus faciebat, imo situs foetus adeo inconstans erat, ut modo lateri sinistro, modo opposito in-

cum-



cumbere deberet, ipsumque abdomen nunc in hoc, nunc in alio loco intumescere observaretur. In hac rerum conditione larga praescribebatur venaesectio, ast vero tanta erat spasmodica vasorum contractio sanguinis fluxum impediens, ut vix quantitatem unciarum sex sanguinis acquiri posset. Successive instituebantur balnea vaporosa genitalibus applicanda, injiciebantur clysmata emollientia, relaxantia, et mixtura antispasmodica praescribebatur,

℞ Infus flor. cham. unc. vj.

Aeth. Nitr. alcohol. dr. j. β

Extr. Hyosc. gr. vj.

Syr. C. aur. unc. j.

m.

S. omni hora dimidiata cochlear unum.

Perstitit tamen eadem rerum conditio; caput foetus in pelvis minoris introitum intrasse, minime vero in cavitatem intermediam descendisse observabatur, unde haud improbabilis oriebatur suspicio ejus voluminis naturali majoris.

Sensim vero circa horam nonam dolores, etsi atrocissimi, post aliqua et magis tranquilla temporis intervalla redibant, ipsumque ostium uterinum ad latitudinem trium pollicum aperiebatur, quamvis tamen in latere sinistro magis attenuatum, quam in dextro, membranae magis expandebantur, et caput paululum descendisse videbatur.

Hora undecima, quando Cl. Promotor ad partu-

tu-

turientem veniebat, ostium uterinum prorsus apertum erat, caput magnum in exitu pelvis retentum, quod licet validissimi dolores ad partum adessent, tamen non procedebat. Quandoquidem igitur parturiens diuturnis doloribus delassata omnem animum abjecisse videbatur, ne foetus diuturniore retentione vitam amitteret, partum forcipe absolvendum judicavit.

Conciliata igitur parturienti congrua positione in lecto forceps ex regulis artis applicabatur. Primum caput leni attractione ad basin utque pelvis ductum sensim motu rotatorio, non tamen sine quadam virium intensione evolutum fuit, sustentato interim perineo, coque illaeso. Forcipe igitur soluto atque remoto, facies foetus versus femur sinistrum matris sponte inflecti observabatur. Post aliquam moram humeri, et tandem truncus extrahebantur. Infans erat sexus feminei, bene conformata, ast voluminosa, clamore suo manifesta vitae indicia exhibens. Quiete dimidiae horae puerperae concessa placenta post regularem uteri contractionem sponte soluta, facile extrahebatur. Sanguinis ex utero evacuatio satis notabilis sequebatur, at vero in constitutione adeo plethorica non metuenda. Abdomine fascia modice compingente munito, emulsio amygdalarum dulcium exhibebatur, omnique ratione quies commendabatur.

Tempore vespertino puerpera admodum delassata, doloribus validissimis post partum vexabatur. Lo-  
chia

chia bene fluebant, et urina evacuata, pulsus acceleratus, facies rubens, calor corporis naturalis, dolor capitis, sitis valida. Infans mammis apponitur. Puerpera cibo vegetabili farinoso utitur, emulsio amygd. dulcium continuatur.

Die 5<sup>o</sup> mensis Februarii: Nox fuit insomnis atque doloribus saepe turbata, Lochia bene fluere pergunt, urinae facilis excretio, infans sanus mammis apponitur, et papillas facile attrahit; functio lactationis jam instaurari incipit. Pergit in adhibitione emulsionis, et blandi nutrimenti vegetabilis.

Die 6<sup>o</sup> m. Februarii: tempore matutino eadem conditio. Nox insomnis, dolores lumborum et abdominis, lochia tamen bene fluentia, urina deposita, alvus semel soluta, lactatio incipiens.

Hora nona vespertina: Valida febris, rubor faciei, magna sitis, dolores abdominis lancinantes, attactu aucti: Cataplasma emolliens abdomini applicatur, et emulsio continuatur.

Die 7<sup>o</sup> m. Februarii: tempore matutino. Nox fuit insomnis, doloribus abdominis turbata, alvus tersoluta, non valde consistens, urina rubra, valida febris, rubor genarum, calor auctus, sitis ingens, abdomen magis turgidulum, quam die hesterno, dolores continui, lancinantes, per totum abdomen diffusi.

Ex symptomatibus, quae morbum praecesserunt, collatis cum iis, quae praesentem puerperii condi-

di-

ditionem comitantur, haud difficulter intelligitur peritonaeitidem hic adesse, cui tamen nondum metritis se junxerat; neque enim nausea, neque vomitus, neque alvi et urinae adstrictio adest, ipsaque lactationis functio hactenus bene procedit, ad quam ulterius adjuvandam infans saepius de die mammis apponitur. Praescribitur sequens Decoctum.

℞ rad. alth. unc. ij.

coqu. in s. q. aq. ad col. unc. xvj.

add.

camph. gr. iij.

nitr. potass. dr. j. β

syr. pap. alb. unc. β

s. omni hora 2 cochlearia.

applicantur abdomini hirudines n<sup>o</sup>. 12, atque usus emulsionis amygdalinae continuatur.

Hora 9<sup>o</sup>. vespert. Pejor rerum facies. Etsi multum sanguinis hirudinum applicatione sit evacuatum, tamen dolores atrocissimi per totum abdomen, at tactum non ferentes, saevire pergunt. Praeterea observantur sudor profusus, color faciei ruber, cephalalgia, subinde deliria mitia, sitis inexplebilis, lingua arida et crusta albicante tecta; valida febris, abdomen insigui expansione flatulenta tumens, alvus inde ab hora 8<sup>1</sup>/<sub>2</sub> matutina non soluta. Ter urinam evacuavit, densam, brunneam. Infans saepius mammis apponitur, et lactis secretio bene sese instituere videtur. Lochia regulariter fluunt. Praescribuntur sequentia medicamenta.

℞ re-

- ℞ repet. decoct. alth.  
 add. nitr. pot. dr. β  
 s. omni hora 2 cochlearia.
- ℞ mur. protoxyd. hydr. gr. xij.  
 pulv. gumm. dr. ij.  
 m. f. pulv. n°. 12.  
 s. omni bihorio unus.
- ℞ dec. hordei unc. xvj.  
 succi citri  
 saeh. alb. aa. q. s. ad gratam aciditatem.  
 s. pro potu.

applicenter abdomini hirudines n°. 8

*Die 8°. mens Febr. hora mat. 10.* Res in pe-  
 jus ruere videtur. Dolor quidem imminutus est,  
 verum abdominis intumescencia augetur. Alvus ad-  
 stricta: urina parca, non nisi cum difficultate eva-  
 cuata. Nocte praegressa subinde aliqua quiete  
 frui puerperae licuit. Jam vero facies collabi in-  
 cipit, et respiratioprehenditur accelerata, et quo-  
 dammodo difficilis. Febris est valida, sudores pro-  
 fusi, sitis inexeplebilis. Lactationis functio lente  
 procedit, imminuta tamen lactis secretionem; lochia  
 parca. Hirudines bonam evacuaverunt sanguinis  
 quantitatem. Ut transsudatio abdominalis praeca-  
 veatur praescribitur linimentum,

℞ linim. vol.  
 ung. hydr. aa. unc. β  
 m.

s. omni  $1\frac{1}{2}$  hora instituaturs. infrictio.

D

℞ rad.

℞ rad. alth. unc. ij.

coq. c. s. q. aq. ad col. unc. xvj.

add. camph. el. gr. viij.

nit. pot. dr. j.

syr. pap. alb. unc. β

s. omni hora 2 cochlear.

Applic. clyisma emolliens bis de die.

Instituant. injectiones emollientes in vaginam.

Applic. abdomini hirud. n<sup>o</sup>. 4.

*Hora pomeridiana 1<sup>a</sup>.* Conditio admodum depravata. Color faciei est lividus. Respiratio frequens, anhelosa, abdomen tumidum, sed doloris fere expers, qui sola pressione inprimis in regione uteri percipitur. Pulsus celerrimus, exilis. Post clyisma hora 11<sup>a</sup> injectum nulla fere evacuatio alvina insecuta. Urinae excretio parca. Ingens foetor genitalium sub administratione injectionum in vaginam percipiendus.

*Hora 6<sup>a</sup> vespert.* Eadem conditio. Inde ab hora 1<sup>a</sup> pomeridiana, aegra continuo vomitu vexatur, quo rejicitur materia viridis aeruginosa, alvus et urina adstricta. Praescribuntur pulv. ultimo praescripti  
add. Laud. puri gr. iij.  
s. omni hora pulvis.

℞ repet. dec. althaeae.

loco nit. pot. substit.

spir. nit. dulc. dr. j.

s. omni hora 2 cochl.

℞ Empl. vesic. . . . .

— arom. aa. q. s.

Extend. super alutam ut f. scutum stomachicum  
ventriculi regioni applicandum.

Continuentur injectiones, infrictiones, et clysmata.

*Hora 9<sup>a</sup> vespert.* Vomitu continuo vexatur misera. Inter continuos vomendi conatus urina semel est evacuata; alvus adstricta. Dolores evanuerunt, subinde tamen pressione exsurgunt, imprimis prope umbilicum, qui locus prae caeteris etiam intumescit; refert aegra se antea eo loco dolorem et majorem ventris intumescentiam percepisse. Facies livida. Respiratio anhelosa, visus obscurus. Pulsus celerissimus, exilis; aliquoties instituuntur injectiones ex dec. althaeae in vaginam, ex qua effluit materia foetidissima, brunnea. Lactationis functio parum viget.

*Die 9<sup>o</sup> mens. Febr. hora matut. 9<sup>a</sup>.* Inde ab hora nocturna 12<sup>3</sup> aliqua quiete frui licuit aegrotanti. Ter urina effluxit. Bis clyσμα emolliens est applicatum, remanente tamen alvo adstricta. Jam queritur de doloribus lancinantibus per totum fere corpus diffusis, imprimis vero lumbos et regionem umbilicalem, quae prae caeteris intumuit, tenentibus. Etiam pectus dolet et vox rauca est. Pulsus quodammodo plenior et tardior, abdominis vero intumescencia major. Vomitus durante nocte immixtus nunc denuo recrudescit.

*Hora 3<sup>a</sup> matutina.* Conditio eadem. Vomitu denovo vexatur misera, et dolores vehementia augentur, alvus non soluta neque urina evacuata. Ut vomitus imminuatur praescribitur antemeticum forma pulv. aëroph., cujus saepius de die cochlearculum aqua remixtum sub ipsa effervescentia ingeratur. Pariter Decocti Alth, omni hora 2 cochlearia sumantur, atque injectiones antisepticae in ipsum uterum instituantur, ex chlorur. calc. unc. j.  $\beta$  in aqua destillatae unc. viij. Insuper abdominis regioni umbilicali applicentur quatuor hirudines, immittantur clysmata oleosa, et pectori vesicatorium applicatur. Attamen, licet bene adhibitis omnibus artis auxiliis, conditio morbi nullo modo emendatur, atque abdominis Meteorismus manifestus declarare videtur humoris extravasati collectionem; quocirca omni hora diligenter instituuntur infrictiones ope linimenti antea praescripti.

℞ Linim volat.

Ungu. Hydr. aa. unc.  $\beta$

cum add. Camphor. elect. dr. j.

m.

*Hora 6<sup>a</sup> vespertina.* In eadem versatur conditione. Respiratio frequens et anhelosa, calor imminutus, frigus extremitatum, sudor viscidus faciei et manuum, pulsus debilissimi, vix sentiendi, dolor lumborum, abdominis vero nullus. Meteorismus auctus, urina evacuata, alvus clysmate parumper mota, foetidissima, vomitus imminutus, mag-



na vero corporis anxietas, et jactitatio in lecto. Mentis constantia manet; praescribitur sequens mixtura.

℞ Moseh. opt. gr. vj.

Pulv. gumm. dr. j.

Aeth. sulf. alc. dr. j.

Syr. Rhocad. dr. vj.

Aqu. Naph. unc. iij.

m.

s. omni dimidia hora cochlear.

*Hora 30<sup>a</sup>* praegressis convulsionibus subito e vita decessit.

Sectio cadaveris 48 horis post mortem fuit instituta. Imprimis cavitas abdominalis fuit investigata, in qua sequentes morbi effectus reperti sunt.

Quum symptomata ultimo morbi tempore observata, atque insignis abdominis expansio indicabant inflammationem in exsudationem abiisse, primum parva abdominis apertura instituta fuit, atque levi pressione magna quantitas evacuata fuit liquoris turbidi, odorem foetidissimum spargentis. Instituta ulterius sectione cruciata abdominis integumentorum, reliqua colligebatur ejusdem liquoris copia. Tota liquoris collecti quantitas erat 68 unc. medicarum. Hicce liquor contentus fuit inter peritoneum, ejusque duplicaturas. Peritoneum ipsum erat valde incrassatum, pelluciditatis expers, variis locis striis rubris passim lividis tectum, ast vero nullis pseudomembranis cum aliis partibus conjunctum. Intestina tenuia et crassa inflammata

ap-

apparebant, et admodum aëre expansa. Uteri externa facies erat sana, interna vero imprimis a fundo versus ostium uterinum, erat coloris grisei gangraenescentis. Attamen haecce gangraenescentia erat tantum superficialis, atque strato gangraenoso ope cultelli abrasi, uteri substantia non mutata apparebat.

Caeterum omnia intestina nullam abnormitatem monstrabant.

#### *Examen liquoris exsudati chemicum.*

*Proprietates physicae.* Liquoris color flavescens et turbidus erat, odor ingratus. Microscopio examinatus magnam copiam particularum informium membranacearum, nullos vero globulos ostendebat. Postquam per 24 horas sibi relictus fuerat, in partem] spissiore[m] atque fluidiorem priori supernatantem, neque tamen limpidam secessit. Ponderus specificum erat 1,024. Praemissis nonnullis investigationibus, quas hic non referam, ne in repetitiones incidam, quibusque certior factus eram *fibrinam, albumen, adipemque*, praecipuas esse partes constituentes hujus liquoris ad *analysin qualitativam et quantitativam*, quantum vires meae in hac difficillima artis chemicae parte sinerent, accessi.

Ut ergo quantitatem relativam partium in liquore

Ut

solutarum definirem, 10 grammata liquoris filtrationi fuerunt subjecta. Haecce filtratio valde erat tarda, quia chartae pori liquori viscido vix transitum concedebant. Liquor filtratus erat limpidus, atque leviter alcalice reagebat, quod verosimile parvae *ammoniae* quantitati adscribendum erat. Etenim nullum aliud alcali hic in sensum venire poterat. Quum scil. liquor evaporationi fuit traditus, atque substantia residua cum aqua denuo cocta, nulla reactio alcalica obtinebat, unde probatur alcali simul cum aqua disparuisse.

*Examen chemicum* nunc in binas dividebatur partes:

1°. *partium solidarum* in filtro remanentium.

2°. *partis fluidae.*

I. Examen partium solidarum. Postquam ergo substantia in filtro residua leni calore fuerat exsiccata, ejus pondus 1,54 gramm. inveni. Color substantiae pulverisatae erat viride flavescens.

Ejus gramma 1 per quinque horas fuit digestum cum aethere sulfurico, qui inde colorem leviter flavescens acquirivit. Jam vero aethere lim-pido dimisso pars residua cum alcohole per dimidiam horae partem fuit cocta. Binis his menstruis eadem materia fuit soluta, quae post evaporationem prudentem omnibus adipis qualitatibus scatebat. Etenim:

1°. Ejus solutio alcoholica aquae additione turbida reddebatur.

2°.

2°. Chartae infrictâ, macula transparens remanebat minime disprens post chartae calefactionem.

3°. alcalibus fuit soluta, quae solutio omnibus qualitatibus saponi propriis gaudebat.

Color hujus adipis erat ex albo flavescens. Ponderus partis aethere solutae erat 0,075 gramm., alcohole solutae 0,125 gramm. Adeoque partes solidae  $\frac{1}{3}$  partem adipis continebant.

Materia alcohole et aethere non soluta per 24 horas fuit digesta cum acido acetico concentratissimo, atque tandem per aliquot minuta ebullitioni subjecta. Hocce acido omnia solvebantur, atque in massam glutinosam convertiebantur, parva excepta portione, quae flocculorum forma insoluta manebat. Postquam quantitas sufficiens aquae destillatae fuerat addita, liquor limpidus fuit filtratus; flocculi insoluti aqua abluti et dein collecti, fuerunt exsiccati. Post exsiccationem prudentem coloris erant viridescens. Eorum quantitas tantum erat 0,050 gramm. Haecce materia igitur erat insolubilis aqua, alcohole, aethere et acido acetico. Quam ejus tantum exigua esset copia, difficillimum fuit veram ejus indolem definire. Proxime natura sua accedere videbatur *mucos* partibus suis aquosis orbat; neque video, etsi peritoneum in statu normali minime sit organum muciparum, quare inter alias secretiones abnormes morbo perpresso tribuendas, etiam mucus, et quidem tam exigua copia, non pertinere possit.

*Solutio acetica aqua diluta jam fuit exanfinata.*

1°. *acidum nitricum* praecipitatum in ea produxit.

2°. addita *ammonia liquida*, etiam praecipitatum natum fuit, verum solubile majore quantitate ammoniae additae.

3°. post additionem solutionis *protocyanureti potassii et ferri* ortum fuit praecipitatum laete viridescens.

Omnibus his certior factus sum, materiam aceto solutam nihil aliud esse, quam fibrinam. Secundum Berzelium scilicet fibrina ultimam proprietatem cum solo albumine communem habet. Ast vero difficile est creditu, hocce jam congelatum adfuisse, quum ex observationibus clar. Vrolik (1) scimus liquorem brevi post mortem adhuc limpidum inveniri, atque demum post aliquot horas sedimentum apparere. Ex analogia ergo cum sanguinis coagulatione potius concludendum videtur, materiam sub forma sedimenti praecipitatum fibrinam quidem, non vero albumen coagulatum continere. Caeterum ipse Berzelius testatur se nullum cognoscere reagens, quo fibrinam ab albumine coagulato distinguere posset.

Se-

(1) Van den Zande, Bemerkingen nopens de genesesk. behandeling van de ziekte der kraamvrouwen, bekend onder den naam van *peritonitis* en *Febris puerperalis*, vert. door A. v. Erpecum, met de Voorrede van Prof. Vrolik, p. 15.

Sedimentum itaque, sive partes insolutae, constare videntur pro maxima parte e fibrina, cui accedunt adeps atque exigua quantitas materiae verosimiliter mucosae.

## II. Examen partis fluidae.

Liquor filtratus, limpidus, coloris leviter fusci, alcali vestigia ostendens, vario nomine se prodidit tanquam solutio satis saturata albuminis. Etenim

1°. *alcohole*, atque solutione *muriatis deutoxydi hydrargyri* praecipitatum copiosum producebatur.

2°. *calori* expositus coagulabatur.

3°. Ejus guttula in vitro evaporata sub microscopio egregiam ostendebat crystallisationem muriatis ammoniae, quae proprietas ex Raspailii (1) effato omnibus humoribus albuminosis communis esset, quod ipse observavi in albumine ovorum, sero sanguinis, lacrymis, atque saliva.

Ut ergo albuminis, caeterarumque partium quantitatem definirem, 20 grammata liquoris filtrati leni calore fuere evaporata. Substantia residua, quae facile in pulverem redigi poterat, eundem colorem fuscum habebat, ac ejus solutio. Ponderus erat 5,79 gramm.

Hujus substantiae gramma 1 per integram horae partem cum sufficiente quantitate *alcoholis* ad ebullitionem fuit redactum. Hic sensim colorem e rubro fuscum acquisivit, deinde pars limpida separata et leni ca-

(1) Raspail nouveau systeme de chimie organique, p. 195.

calore evaporata 0,16 grann. substantiae reliquit, coloris e rubro fuscis, post refrigerationem celerissime aquam hygrometricam alliciens, et odorem non ingratum spirans. Solubilis erat in aqua et alcohole, et solutio in ultimo menstruo praecipitabatur *tinctura gallarum*, atque solutione *nitratis protoxydi hydrargyri*. Omnia haec signa indicabant substantiam, quam Clar. Thenard *osmozoma* dixit, quaeque secundum Berzelium etiam in sero sanguinis invenitur, atque ab eo tanquam *extractum carnis cum lactate sodae* indicatur.

Substantia a coctione cum *alcohole* residua, omnibus gaudebat proprietatibus *albuminis coagulati*.

Tandem ultima pars examinis chemici remanebat, scil. investigatio *salium* ab *albumine* ligatorum.

Nota est singularis illa neque hucusque ab omni parte aperta proprietas *albuminis*, qua praesentiam plurimarum substantiarum, praesertim *salium* ita obfuscare valet, ut reagentibus solitis nullo modo possint detegi. Omnia etiam mea conamina irrita erant, ut *muriatem ammoniae*, cujus magnam copiam sub forma crystallorum egregie conformatorum ope microscopii observaveram, via humida separarem. Etenim vulgari more scil. incineratione hocce sal deperdi, necesse erat. Plurimis vero tentaminibus frustratus, tandem ad hocce artis auxilium confugere debui. *Albuminis* grammata 1 in crucibulo porcellaneo in carbonem vertebatur, atque hieccarbo deinde in crucibulo e platina facto incinerabatur; ad hanc

hanc operationem temperatura valde elevata atque diu perstans requirebatur.

Cinerum pondus tantum erat 0,027 grammat., adeoque minus quam cinerum ex albumine ovorum, quae secundum Thenardum 0,061 grammatis esset. In eo quoque differebant, quod nullum silicium continebant, etenim penitus erant solubilia in acido muriatico diluto. Praecipitata prodibant cum aqua calois, muriate barytae (partim solubile in *acido nitrico*), subphosphate ammoniae, oxalate ammoniae, atque additione prussiatum potassae et ferri egregius color coeruleus oriebatur. Ex his patere videtur cinerem continere phosphates et sulfates calcis et magnesia cum ferro. Si ergo nunc diversas inventas partes constituentes enumeremus, illarumque quantitatem relativam computemus, tunc 100 partes liquoris examinati continere videntur.

	fibrinam . . . . .	11, 53.
	adipem . . . . .	3, 10.
<b>Partes solidae 15, 4.</b>	materiam mucosam in-	
	solubilem aqua, alco-	
	hole, aethere atque	
	acido acetico . . . . .	0, 77.
	albumen . . . . .	20, 14.
	osmazomium . . . . .	3, 90.
<b>Partem fluidam 84, 6.</b>	salia, scil. phosphates et sulfates calcis	
	et magnesia cum ferro	0, 56.
	aqua cum deperdita	
	substantia . . . . .	60, *



Pauca mihi addere liceat *corollaria* ad hanc observationem spectantia, eaque e triplice fonte depromenda, scilicet

1°. ex ipsius morbi historia,

2°. ex cadaveris sectione.

3°. ex analysi chemica liquoris exsudati.

1°. *Corollaria e morbi historia derivanda.*

*a. Quo ad causas praedisponentes et occasionales.*

In praesenti morbo *causa praedisponens* quaerenda videtur in constitutione plethorica et robusta, inflammationibus obnoxia, pariter cachectica. Etenim, quamvis ex opinione nonnullorum potissimum feminae constitutionis tenerae hoc morbo corripentur, tamen experientia contrarium probare videtur (1).

Si porro respiciamus ad plerasque observationes hujus morbi, tunc saepius inveniemus, jam durante graviditate molestias quasdam insolitas observatas fuisse. Idem offendimus in historia enarrata. Videtur ergo jam ante partum seminum quoddam occultum praeternaturale adfuisse. Hoc imprimis ideo crederem, quia nullam causam excitantem invenire possumus, quae tantum valeret producere morbum. Forcipis applicatio hic minime in censum venire potuit, nam infans sine ulla noxa eductus fuit, et praeterea processus morbosus jam ante forcipis applicati-

(1) Conf. Von Sieboldt, Versuch einer pathologisch-therapeutischen Darstellung des Kindbettsfiebers, pag. 63.

plicationem vigeat. Ipse character epidemicus, quem morbus nonnunquam in nosocomiis assumit, etiam probat tale seminium occultum, naturae nobis incognitae, saepius in hoc morbo inveniri. Quum vero partu absoluto directio humorum tantopere mutetur, aliaeque mutationes magni momenti in corpore femineo obtineant, in solo partu, ejusque sequelis necessariis *causam occasionalem* hujus morbi quaerem. Etenim lochiorum atque lactis secretionis immutatio minime *causam*, verum potius *effectum* morbi constituebat, quandoquidem in initio ipsius morbi bene vigeant. Fieri tamen possit, ut animi abjectio atque metus suum contribuerit ad morbum efficiendum; nam variae prostant observationes, quibus efficiter sola animi pathemata validiora illum producere posse. (1).

*b. Quo ad morbi decursum.*

Puerpera nostra obiit 68 inde a partu die. Decursus ergo acutissimus dici meretur. Tria videntur notanda stadia, quae fere aequale temporis intervallum continent.

*Primum stadium prodromorum*, cujus initium ab eo inde tempore repetere possumus, a quo partus negotium irregulare reddi incipiebat. *Stadium spasmodicum* dici posset. Minime tamen omnis processus inflammatorius abesse videbatur, etenim observabantur rubor faciei, dolor capitis, pul-

(1) Conf. v. d. Zande, l. c. pag. 48 et 56.

pulsus acceleratus et magnus, atque sitis valida. Insuper constat saepius morbos initio spasmodicos in inflammationem transire, uti v. gr. morbos colicos. Ipsa quoque notio pathologica inflammationis affectionem irritatae naturae vasorum capillarium supponere videtur.

*Alterum stadium fuit inflammatorium*, reactionis naturae. Hoc stadium incepit versus finem diei post partum tertii. Dolores hucusque remittentes continui reddebantur et attactu valde augebantur. Post aliquod tempus exsurgebat febris characteris inflammatorii. Memorabile fuit per totum hoc stadium neque lochiorum excretionem, neque lactis secretionem turbatam fuisse. Contra utraque bene vigere pergebat. Igitur ex hac observatione patet, debili fundamento theoriam illorum inniti, qui in eorum suppressione solam quaerant causam febris puerperalis. Sitis inexplebilis, quae ex observatione Sieboldtii inter symptomata constantissima pertinet, etiam hic observata fuit. Alvus in initio erat laxior; urina crassa et brunnea.

*Tertium tandem stadium in nostro casu erat exsudationis*, cujus initium repetere debemus inde a tempore matutino diei post partum quinti. Ergo *stadium inflammatorium* non ultra triginta sex horas perstitit. Exsudationem incipientem indicabat, doloris imminutio cum abdominis expansione insigniiter aucta, facies collapsa, respiratio accelerata, sudor profusus.

Tandem etiam lactis secretio atque lochiorum excretio diminui observabantur. Haecce igitur diminutio tanquam effectus morbi considerari debet. Idem valet de alvi et urinae suppressione nunc demum insecuta. Omnium humorum directione mutatá solum peritoneum partes omnium organorum secernentium suscepisse videbatur. Inflammatio ipsa, quamvis minore vigore, tamen perstabat. At vero naturam magis malignam, et in gangraenam proclivem assumserat atque uterum praepremis invaserat, unde post aliquot horas loco lochiorum suppressorum materia corrupta effluebat. Intestina atque ventriculus sympathica ratione etiam afficiebantur, docente vomitu miseram excruciante. Respiratio anxiosa et anhelosa, pulsus debilissimus et tremulus reddebatur, atque tandem sexto inde a partu die mors tristem clausit tragoediam.

*c. Quo ad curationem.*

In morbo nostro tribus indicationibus satisfaciendum erat:

1°. inflammationem in robusta adeo constitutione, si fieri possit, resolvere.

2°. inflammationis exitum, scil. exsudationem praevenire.

3°. symptomata graviora mitigare.

Primae indicationi inserviebat sanguinis evacuatio, quae in aegra nostra omnino indicata fuisse videtur, nam ejus constitutio plethorica inflammationibus favebat. Applicatio repetita hirudinum abdomi-

mini, atque potiones antiphlogisticae, scilicet *emul-siones amygdalinae*, deinceps *decocta altheae cum nitro*, etiam hujus sunt loci.

Ut secundae indicationi exsudationis praecaven-dae satisfiat, *Mercurius dulcis*, medicamentum illud in morbis hujus generis valdopere a recen-tioribus commendatum, adhibitus fuit. Tamen morbi vim frangere non valuit, etsi omni bihorio granum unum ingereretur. Neque quidquam efficere potuerunt infriktiones linimenti volatilis atque un-guenti hydrargyri.

Tertia indicatio versabatur in corrigendis symp-tomatibus, atque morbi effectibus. Huc pertinebat imprimis *vomitus*, cui opponebatur *pulvis aëropho-rus*, atque *emplastrum aromaticum* ventriculi re-gioni applicandum; ast vero omnia irrita erant, atque cura symptomatum vix plus profuit, quam cura morbi ipsius. Tandem, ut euthanasia pro-moveretur, mixtura analeptica e moscho et aethere sulfurico alcoholico praescripta fuit.

*d. Quo ad prognosin.*

Etsi auctores magnopere differant de *causis*, *na-tura*, atque *curatione* nostri morbi, tamen in sta-tuenda *prognosi* multo nomine conveniunt, illamque infaustissimam dicunt (1).

Inter signa ominosa in puerpera nostra observata referri debet diarrhoea (2). Deinde hujus loci sunt:

(1) Conf. v. d. Zande, l. c. pag. 19.

(2) Conf. v. Sieboldt, l. c. pag. 35.

doloris imminutio cum expausione abdominis aucta, pulsus debilissimus, celerrimus, cum respiratione auxia et anhelosa; lochiorum, lactisque suppressio, dolores lancinantes per totum corpus diffusi, sudores profusi, facies Hippocratica. Etenim indicabant exitum in exsudationem, atque astheniam universalem (1).

## II. *Corollaria ex sectione cadaveris desumpta.*

Difficillima est dijudicatio quaestionis, , quanam sit natura intima *febris puerperalis*. Sieboldtius (2) quindecim enumerat hypotheses, quae ad hunc morbum explicandum, excogitatae fuerunt, quibus nuperrime Boyer, et Eisenmannus novas addiderunt (3). Si vero tantum morbi sedem inquiramus, tunc e cadaverum sectionibus patere videtur hanc inprimis quaerendam esse in affectione cujusdam, vel plurium partium in abdomine sitarum. Inprimis inflammationem peritonaei in eensum venire credimus; quamvis *peritonaeitis* puer-

(1) Conf. Pool, l. c. p. 21.

(2) Conf. v. Sieboldt, l. c. pag. 61.

(3) Hicce autor ex experimentis suis in brutis institutis conclusit veram causam febris puerperalis quaerendam esse in *lochiiis putrefactis atque resorptis*. Mihi tamen videtur ex observatione nostra et aliorum, patere illum effectum pro causa salutasse. Nam vera febris puerperalis saepius adesse potest fluentibus tamen lochiis bonae qualitatis.

Conf. Gazette med. de Paris 1834, No. 30. et Eisenmann, das Kindbettfieber Erlang 1834.

*puerperalis* sine dubio bene sit distinguenda a *peritonaeitide*, quae omnibus aliis hominibus supervenire potest. Etenim, quamvis symptomata multo nomine convenient, *peritonaeitis* tamen *puerperalis* eminet majore vitae discrimine, atque ni-  
su peculiari in exsudationem.

In observatione nostra etiam peritonaeum inflammatum invenimus, atque liquor exsudatus inter ejus duplicaturas erat contentus, adeoque vasis excernentibus peritonaei productus. Praeter inflammationem hujus membranae imprimis memoranda videtur uteri interna superficies gangraenosa, magnopere conveniens cum delineatione Potgieteri operi annexa. Ast vero sententia hujus auctoris, causam proximam febris *puerperalis* in sola *putrescentia uteri* quaerendam esse, vix admittenda videtur, nam in plerisque casibus, uti etiam in nostro, affectio peritonaei ante uteri affectionem eminuit. Pleraque etiam symptomata magis minusve essentialia, uti dolor abdominis attactum repugnans, lochiorum atque lactis suppressio, aliaque, ex affectione peritonaei optime explicari possunt.

### III. *Corollaria ex analysi chemica.*

Lubenter confiteor meam investigationem chemicam minime considerandam esse, tanquam omni superiorem animadversione. Etenim cuique artis perito notum est, quantis dubiis et difficultatibus adhuc prematur examen chemicum substantiarum organicarum.

Attamen si tantum hanc analysin approximativam credamus, facile ex illa sequentia profluere videntur corollaria.

1°. Huncce liquorem exsudatum nullo modo cum lacte vera metastasi deposito comparari posse; quod probatur:

a. Differentia ponderis specifici, quod hujus liquoris erat 1,024, lactis vero 1,032–1,034.

b. Sub microscopio tantum particulae informes membranaceae fluido innatantes detegebantur. In lacte vero globuli distincti atque regulares adsunt.

c. Nulla principia lactis essentialia, scil. *caseum*, *butyrum*, neque *saccharum* ullo modo invenire potui.

d. Expositione aëri lac acescit, hicce vero liquor alcalice reagebat, eamque proprietatem etiam post diuturniorem aëri expositionem retinebat.

2°. Si sanguinis analysis cum examine hujus liquoris comparetur, tunc invenimus praeter partem rubram colorantem sanguinis, omnia principia essentialia sanguinem constituentia, ne ferro quidem excepto, etiam hoc liquore contineri, quamvis quantitate relativa diversa. *Fibrinae* copia paululum minor est, *albuminis* uero quantitas fere duplex quantitatis *albuminis* sero sanguinis contenti. Si ergo respiciamus ad abundantiam partium organismi nutritioni omnino necessariarum, quae exsudatione hujus liquoris corpori detrahebantur, tunc sane non mirandum videtur post ejus  
ef-



effusionem tam cito secutum fuisse tantum virium  
lapsum. Etenim, quum puerpera jam sexto inde  
a partu die succubuit, haecce exsudatio celerrime  
obtinuit, atque varia ratione forsitan comparari  
meretur cum effectu lethali, quem habet haemor-  
rhagia interna uteri.

**TANTUM.**

## QUAESTIONES MEDICAE.

---

### I.

*Arteriarum lumen durante pulsu, et longitudine, et latitudine extenditur.*

### II.

*In morborum, imprimis acutorum diagnosi minime ad unum symptoma, verum ad omnia simul sumta morbi signa attendendum est.*

### III.

*Attamen bene distinguenda sunt signa morbi pathognomonica ab epigenomenis.*

### IV.

*Ad usum practicum egregie convenit signorum morbi distinctio in anamnastica, diagnostica, et prognostica.*

### V.

*Elegans, non minus quam veritati conveniens, est Gruneri de utilitate semeiologiae, effatum, » Medicum his armis instructum verum esse vitae, necisque arbitrum, sapientissimis Stoicorum sapientiore» cett. (Semeiotices § 6.)*

VI.

*Medico artem suam factitandi si occurrat morbus, cujus naturam nondum bene perspectam habeat, nisi periculum urgeat, Medicina expectativa egregie commendanda videtur.*

VII.

*Ubi vero dubitandi causa adest, utrum sanguinis evacuatio instituenda sit, nec ne, universe illam instituere praestat, quam negligere.*

VIII.

*Recte dixit Boerhavius nostras, illum demum praestantissimum fore Medicum, qui non tantum febrem tollere, verum quoque excitare sciret.*

IX.

*In morbis chronicis pertinacibus, et ad optima remedia refractariis, ad empiricorum remediorum adhibitionem confugere licet.*

X.

*Vesania semper affectionem quandam corporis supponit.*

XI.

*In menstruatione suppressa revocanda, caute Medico videndum est, ne effectum cum ipsa causa confundat.*

XII.

*In formulis Medicamentorum praescribendis tamdiu simplicitati studendum est, quamdiu illud sine aegrotantium damno fieri possit.*

XIII.

XIII.

*Multae affectiones vulgo locales dictae, uti carcinoma, fungi, aliae, rectius ad universales quam locales referri merentur.*

XIV.

*In operatione aneurysmatum, ligatura arteriae, Methodo Hunteri instituta, aliis praeferenda videtur operandi rationibus.*

XV.

*In versione foetus semper utriusque pedis evolutio tentanda videtur.*

XVI.

*Partus praematurus arte provocatus sectioni caesareae multo nomine praeferendus est. Longe tamen abest, ut ille hujus locum in omni causa suscipere valeat.*

---